

deinde cum acciperet e coelo doctrinam de sacramento S. coe-  
nae 1. Cor. XI, 23. Gal. I, II. 12. ac denique cum in tertium  
coelum raperetur, & ex ore Iesu perciperet ἀπὸ τοῦ οὐρανοῦ 2.  
Cor. XII, 4. Praeterea elegantissime Christus a Paulo nuncu-  
patur ὁ ἀπὸ τῶν οὐρανῶν *doctor coelestis*, quod testimonium coeleste tu-  
lit de rebus, quas ipse in coelo vidit, quibus ipse interfuit,  
& quas nemo vidit, nisi filius, qui fuit in sinu patris Ioh. VIII,  
38. 26. 40. I, 18. ideoque Iesus sibi dignitatis gradum omnibus  
maiores tribuit Ioh. III, 31. Moses vero, cui & ex hac parte  
anteponitur Christus, nunquam in coelo fuit, nihil coelestium  
rerum vidit, licet ad coelestia magnopere aspiraverit, & a Deo,  
quem ad se dicentem audiebat, precatus fuerit, ut sibi eum  
oculis cernere liceret, Exod. XXXIII, 18. 19. 20. At hoc soli  
Iesu, doctori coelesti, a patre datum est, ut, quantum inter in-  
terpretem rerum divinarum, & Deum ipsum, indutum huma-  
na carne loquentem, intercedat discriminis, oppido constaret.

§. 4.

Quo maior itaque doctor est, omnibus superior coelis  
Ebr. VII, 26. eo maius est nefandum illud impudentiae scelus,  
a quo, ut sibi magnopere caveant cives regni Messiae, gravif-  
sime eos exhortatur Paulus, Christo terga ne dare velint. Ad-  
hibet vocem ἀποσεφόμενοι, quae, nisi fallor, ex immanis cuius-  
dam veterum Hebraeorum criminis historia repetenda est at-  
que explicanda. Communis erat gentilium, qui orientis re-  
giones incolebant, error, seu commune potius crimen ac sce-  
lus, ut nimia admiratione in solem, ob miranda eius in ge-  
nus humanum, imo hoc universum, beneficia abrepti, cul-  
tum ei exhiberent divinum, qui tantum ad conditorem ac do-  
minum solis pertinebat. Conversa itaque ad exorientem solem  
facie procubuerunt, ut aspectabilem illum atque corporeum  
Deum precibus ardentissimis venerarentur, quod solemnem  
illam precationem, redeuntis solis auspiciis consecratam,  
praecla-